



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 62. Lautrecus Mediolanum profugus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Vir sagacissimus, horum æmulationem ^{Sæcul. XVI.}
 dextre in rem suam vertebat, ab eis ^{A.C. 1521.}
 postulans, an suis popularibus, qui fœ-
 deratorum signa sequerentur, sese con-
 jungere vellent, id si facerent, pollice-
 batur illis pecunias in antecessum dan-
 das, ac stipendia semper exacte, & lon-
 ge liberalius, quam Lautrecus facere
 potuisset, esse solvenda. Duplici hoc ar-
 tificio Sedunensis Helvetiorum Magistra-
 tus elusit, ac suorum militum numerum
 auxit.

§. LXII.

Lautrecus Mediolanum profugus.

Lautrecus sinistro hoc eventu perterri- ^{Græc. l. 126}
 tus, relicto Ollro flumine ad Abduxæ
 ripam castra posuit, firmavitque; hic
 enim fluvius ultimus erat, quem Fœde-
 rati, ut ad interiores Mediolanensis Du-
 catus ditones penetrarent, trajicere de-
 bebant: Reliquam vero exercitus sui
 partem secum in urbem duxit, nec ta-
 men inde melius Gallorum rebus confu-
 luit; quippe cum exiguum, quod ei su-
 pererat, temporis spacium impendere
 debuisset, ut cives priusquam Columnæ
 ac Piscarii copiæ advenirent, in officio
 contineret, urbemque valido præsidio
 muniret, ipse potius totus in eo erat,
 ut hujus populi animos magis exacer-
 baret, jam in Nobiles, jam in cives ca-
 pitalli

Sæcul. XVI
A. C. 1522.

pitali pœna animadvertendo. Impru-
dens hæc agendi ratio civium Primores
tam vehementer offendit, ut rusticum
quemdam ad Moronum Cancellarium
mitterent, eique suaderent, quatenus
Fœderatorum copias admoveret, eo-
quod urbem ei tradere decrevissent. Ru-
sticus vix Mediolanum egressus erat,
dum jam interceptus ad Prosperum Co-
lumnâ ducebatur, qui notitiam Moro-
no datam minime spernendam ratus, Pi-
cario negotium dedit, ut cum primo ag-
mine, cui imperabat, aggeri sancti Vin-
centii appropinquaret, Mediolanensium
animos exploraturus. Venetî, qui ibi-
dem excubias agebant, vix comperto
hostis adventu, mox fuga dilabuntur,
quos Piscarius quantocius insequens,
cum copiis suis primo vicinam portæ
munitionem, demum etiam urbem in-
gressus est, capto Theodoro Trivultio,
qui morbo licet pressus, absque armis
mulo vectus ad hosce rumores accurre-
bat. Capti quoque fuerunt Julius San-
severinas, & Viglebani Marchio; nilque
propius erat, quam ut idem fatum Grit-
tus quoque Reipublicæ Provisor subiret.

§. LXIII.

*Fœderati capto Mediolano urbem
ingressi.*

Piscarii militibus urbem ingressis paulo
post